



**Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis
Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et
Justitiæ, Sive Decisivi Discursus**

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in
quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus
respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum
luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque
omnibus in utroque Foro ...

De Fideicommissis, Primogenitvris, Et Majoratibvs

Luca, Giovanni Battista de

Coloniae Agrippinae, 1690

Disc. XLIV. Bonien. fideicommissi de Guidottis. De eadem materia
concursum foeminarum, Et an earum vocatio cum masculis intelligenda sit
ordine simultaneo vel potius successivo, & subsidiario, Et ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74060](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74060)

BONONIEN.

FIDEICOMMISSI DE GVIDOTTIS

PRO

COMITISSA VALERIA

CVM

COMITIBUS SAVLO

& aliis

DE GVIDOTTIS.

*Casus disputatus in Rota, & scriptus per
concordiam.*

De eadem materia concussus fœminarum,
Et an earum vocatio cum masculis intel-
ligenda sit ordine simultaneo vel potius
successivo & subsidiario ; Et quatenus
juxta hanc secundam speciem, An intel-
ligatur in propria linea, vel etiam in om-
nibus aliis.

Et restricta fœminarum vocatione ad innup-
tas tantum, An fœminæ nuptæ concurrere
possint, rejecta dicta restrictione tan-
quam conditione inductiva viduitatis.

SYMMARIUM.

- 1 **F**ABi series.
- 2 **R**esolutio cause.
- 3 **D**ictio alterutra posita inter masculos, & fœminas inducit ordinem successivum, ut fœmina censetur vocata post masculos, eisque desectis in subsidiarium.
- 4 **F**ortius vigente statuto exclusivo fœminarum.
- 5 **A**tendenda est voluntas testatoris de tempore quo illa sequuta est, non quid postea contigerit.
- 6 **D**ictio alterutra conjuncta cum dictione tam copulata, & resolvitur in quàm.
- 7 **D**ictiones tam & quam parificant.
- 8 **D**e ratione ob quam fœminarum vocatio sit simultanea.
- 9 **A**lternativa quandoque importat copulativam & e contra.
- 10 **V**ocatio masculorum & fœminarum in capita arguit eam esse simultaneam.
- 11 **I**dem si supponitur simultanea successio patris & filie.
- 12 **D**e alia circumstantia idem suadente.
- 13 **F**œmina linea admissa præferuntur masculis alterius lineæ.
- 14 **C**onditio viduitatis, vel alia per testatorem requisita in successione sufficit, quod semel de tempore successione extiterit.
- 15 **S**tatutum excludens maritatum procedit in successione delata post matrimonium, non in delata ante illud.
- 16 **C**onclusio, ut sufficiat conditionem vel qualitatem extitisse de tempore successione, fallit si desideratus effectus successivus, Et quando ille desideratus dicatur, & dantur exempla.

K 3

17 Cond.

debent, active & passive ; Plures autem urgere videbantur conjecturæ in id sufficientes, Prima scilicet resultans ex omnibus superius dictis circa portionem Masii, si enim istos filios & descendentes supponimus vocatos ad portionem patris, multo magis eos dicere debemus vocatos ad portionem proprii parentis, ut pluries advertitur infra in dicta materia vocationis filiorum in conditione postorum, & habetur in hujus causæ decisionibus ; Secundò ex reciproca ordinata inter institutos. Tertiò in illis verbis, *accio le mie facolta restino in loro e loro figlioli* ; Quartò quod verba videbantur directa in rem, ipsaque bona, & sic videbatur species fideicommissi realis, & ex quo disponendi modo ad hunc vel alios similes effectus magna deduci solet conjectura, Et quintò foriter ob fideicommissum ordinatum in casu delicti generaliter in omnibus descendentes, non enim gravantur qui non honorantur, atque privatio supponit habitum, unde dum testator ultiores descendentes gravat & privat, signum est, quod eos præsupposuit vocatos & possessores ; Et licet à dispositis in casu delicti regula sit non inferri ad casum mortis, adhuc tamen receptum est exinde vehementem conjecturam resultare, atque istam dispositionem in casu delicti nimium deservire pro interpretatione alterius dispositionis ordinatæ in casu mortis, ut pluries infra, præsertim in *Romana seu Urbevana successione dis. 104*. Ponderando omnes istas conjecturas non singulariter sed unitim, cum consueta regula, *ut singula, que non prosunt, &c.* ideoque difficultas causæ restringi videbatur ad dictum primum punctum, An qualitas masculina esset repetita necne.

Magnum quoque fundamentum in contrarium constituebatur in quodam responso pro veritate in ista causa tradito per *Gratian*. registrato inter ejus *discept. tom. 5. discept. 822*. Verum non magna ratio de illo habita fuit, cum ejus lectura ostendat satis levi minerva editum esse : Notoria enim est in Curia distinctio tradita per seniores, qui agnovissent, & præstiterunt istum fortunatissimum scriptorem ; Aut enim agitur de primis tribus voluminibus continentibus resumptionem causarum gravium agitarum in Rota, vel Camera, aut Signatura cum interventu plurium primi nominis Advocatorum, quorum tantum labores ita reassumpit, & est nimium commendabilis, ejusque auctoritas magnificanda est, dum ita totum exaratum fuit absque aliqua affectione pro sola veritate, & quidem felici & commendabili stylo, idemque in duobus ultimis voluminibus circa eas disceptationes ita pariter compositas : Secus autem circa propria responsa, & ea quæ sui tantum ingenii partus erant, & qui attentè considerabit hanc distinctionem, inveniet eam esse verissimam.

*

- 17 *Conditio inducens viduitatem est reprobata, & habenda pro non scripta.*
 18 *Vbi matrimonium jam contractum inducit aliquod prejudicium datur puella restitutio in integrum.*
 19 *Declaratur conclusio, de qua num. 17. quando conditio inducens viduitatem, ac avertens à matrimonio, vel illius libertatem impediens sit reprobata nec ne.*
 20 *Vbi nuptie prohibentur, & nullus exprimitur finis honestus, an iste presumatur.*
 21 *De dispositione excludente religiosos remissive.*
 22 *De alia declaratione conclusionis, de qua num. 17. ubi conditio viduitatis adjiicitur pro qualitate.*

DISC. XLIV.

Ioannes de Guidottis in ejus testamento condito de anno 1465. relicta filii legitima, factisque aliis dispositionibus ad rem non facientibus, reliquum ejus asem perpetuò indivisum conservari voluit, modo per eum præscripto administrandum, ad effectum ut fructus tanquam per speciem massæ capitularis, sive illorum montium & distributionum, quorum præsertim frequens usus habetur in Civitate Ianuæ, singulis annis distribuenter ejus descendibus masculis vel foeminis, innuptis vel viduis pro tempore existentibus per capita; Cumque eo defuncto fuissent superstites, Salustius, Saulus, & Aurelius filii, quorum singuli filios procrearunt, ad istorum instantiam de anno 1532 *Clemens VII.* derogando in parte huic voluntati, facultatem eis dedit dividendi & administrandi per seipso dicta bona ad instar aliorum fideicommissorum, firma in reliquis remanente testatoris voluntate, eodem modo quo præcedenter *Leo X.* fecit in testamento Comitum de Marsciano, de quo supra in *Vrbetana majoratus disc. 6.* Cumque de anno 1637. defecisset linea Salustii in Alexandro ultimo, istius portionis bona pacificè ex ejusdem ultimi morientis dispositione ob venerunt in descendentes reliquarum linearum Sauli & Aurelii, Defunctoque postmodum Francisco Maria de linea Aurelii, superstitibus Valeria unica filia, & Julio Casare Saulus, Vincentius, & Carolus descendentes ex linea Sauli, stante quod dictus Julius Casar tanquam clericus in sacris de legitima prole desperatus esset, Aurelia verò nupta Comiti Beroaldo, præventivum iudicium instituerunt super bonis in hanc lineam obventis pro quando fieret casus mortis dicti Julii Casaris.

Et introducta causa in *Rota coram Arguelles*, assumpta fuit disputatio super duratione fideicommissi, firmata sub diebus 24. *Januarii & 5. Junii 1648.* deindeque assumpta altera disputatio super reciproca linearum pariter firmata sub diebus 23. *Januarii & Junii 1649* quarum decisionum una habetur impressa in *par 10 recent. decis. 315.* deindeque actores convolarunt ad alterum dubium, super pertinentia & purificatione fideicommissi ad eorum favorem per mortem dicti Julii Casaris, quando ejus casus eveniret, neglecta dicta Valeria femina & nupta, dictoque dubio semel proposito & non resoluta, cum deinde contigisset mors viri dictæ Valeriæ, unde cessabat majus obstaculum deficientis qualitatis per testatorem desiderata, id viam aperuit honestæ & laudabili concordie, mediante matrimonio cum prudenti consilio inito, inter dictam Aureliam, & unum ex præfatis actoribus.

In hac autem disputatione super dicto tertio &

ultimo dubio, super quo solum ex parte Ambræ assumptus fuit; Cum in duobus aliis præcedentibus utpotè in susceptæ Advocacionis munere adhibitis vitiis non scripserim, duo erant puncti, Vnus concursus dictæ Aureliæ femine cum præfatis masculis actoribus, tam in portione Francisco Maria ejus patris, quam in illa Julii Casaris patris altero polito concursu feminarum, ita ut scilicet obstaret, an adhuc illi obstaret defectus qualitatis per testatorem volitæ, quod femina essent innupta vel vidua.

Quoad primum, scribentes pro actoribus stebant in eo quod vocatio feminarum una cum masculis non esset per copulativam, sed per ternativam ibi, *maschi overo femine*, unde propter inferebant talem vocationem censeri ordinem finis non autem simultaneo, ut de natura alternativa regulariter, non constito de contraria voluntate importare dicitur *ad not. per scribentes in l. com. per §. penul. ff. de leg. 2. & in l. heredes mei §. fin. Trebell. Róm. consil. 149. num. 12. & seq. lib. 2. apud Eufar quasi. 379. num. 26. & seq.* & deinde in secunda superius enunciata decisione §. *Innotuit* ubi in §. *huiusmodi autem & seqq.* advertitur, quod id procedere in loco, in quo vigeat statutum minarum exclusivum, cum quo regulariter presumptio est testatorem voluisse se conformare.

His tamen non obstantibus, reflectendo tantum solam veritatem, mihi pro dicta femina scilicet verius videbatur præmissam conclusionem intrare, quamvis etiam concursus esset masculis equalis gradus, ejusdemque lineæ, ut magis, & absque dubio in concursu masculinorum gradus longè inæqualis & de linea diversâ, sed dem ad regulandam testatoris voluntatem, attendendum non est, quid ferè per facultatem ejus mortem ex Apostolica derogatione in hoc innovatum fuerit, sed qualis fuerit ejus intentio retento suæ dispositionis themate, ut etiam dicitur in dicta *Vrbetana disc. 6.* Hoc autem themate retento, absolutum videbatur vocatio masculinorum & feminarum fuisse simultaneam, solum attentis verbis, dum in pluribus testatoris patris dictionem alternativam, *overo*, cum altera dictione *tam*, ibi, *qualunque mihi dependente tanto maschio overo femina*, unde clare videbatur illud Italicum verbum *overo*, non regulariter translatum in latinum importare dictionem alternativam, *aut* seu, *vel*, importare dictionem *quàm*, seu in Italico idiomate, quod ita ratione recti sermonis perneccesse importatur, quarum dictionum natura est omnia æqualiter tribuere, ut in his terminis *Purpurat. cons. 456. num. 69. cum sequen. & Peregr. cons. 57. num. 14.* generaliter multos colligit *Barbosa dictione 571. dec. 109. num. 9. par. 7. & 118. num. 8. par. 11.*

Sed clariùs quia non agitur de fideicommissi generali & jure, seu ordine successorio regulando, cum perpetuo tractu successivo in persona annuorum ejusque descendibus, quo casu intrat dictionis concursus & prælationis, sed de distributione fructuum singulis annis faciendâ, ad instar massæ grossæ singulis annis distribuendâ inter omnes legitimos vel beneficiatos, sive illarum ditionum, de quibus supra in *lanuen. & Neapolitan. cons. 3. & 22.* Ideoque incongruus est dictus ordo posterior, sed subjecta materia exigat concursus simultaneum, cui non repugnat dictione per alternativam, dum ista

ex verisimili testatoris voluntate, vel ratione, sub-
 jecta materia in copulativam resolvitur ad text. in leg.
 generaliter Cod. de instir. & substit. cum concord. plenè
 collectis per Bell. de jur. acc. cap. 5. quest. 26. num. 181.
 cum seq. Alograd. conf. 60. n. 22. & 23. lib. 1. Franch.
 decis. 150. & e converso copulativa resolvitur in al-
 ternativam, ut apud Franch. dicta decisione 150. Man-
 tic. decis. 247. & 249. Et habetur infra in Perusina fi-
 deicommissi. de Corradis discurs. 88. & in aliis in Rom.
 pecuniaria de Comitibus seu Castis 1. Decembris 1661. &
 23. Januarii 1662. coram Bourlemont, de qua habetur
 actum substit. de credito.

Quod evidentius probari observabam, Tum ex
 vocatione masculorum & foeminarum in capita,
 10 quod arguit eam esse simultaneam, non at tem suc-
 cessivam ex collectis per Belkon. iun. de jur. accrese.
 dictio cap. 5. quest. 26. num. 181. Rauden. decis. Pisana
 24. num. 1. & 15. Rot. decis. 439 num. 1. par. 4. di-
 vers. Tum clarius, quod testator cogitando casum
 simultanei concursus ad hujusmodi annum distri-
 11 butionem patris & filiorum masculorum & foemi-
 narum, disposuit portiones filiorum capi debere
 per patres, ergo ad evitendiam omnes vocavit
 per concursum æqualem ac simultaneum, dum præ-
 supposuit filiam concurrere cum patre.

Satisque considerabilem in proposito dicebam
 dictam alteram circumstantiam, ut testator voca-
 set tantum foeminas immediatas, sed innuptas, ita
 12 excludendo nuptas ut potè juxta Italiae mores de fa-
 cto vivorum familiam allumentes, qualiquod sit
 considerando ejus familiam tanquam unum Colle-
 gium, admitti voluerit omnes, qui de facto eam
 nuncupationem habent, ac in familia figuram fac-
 cerent.

Procedere dicebam hæc, quamvis ageretur de
 æquali concursu inter masculos & foeminas ejus-
 dem gradus & lineæ, multo magis ac extra dubita-
 tionem, dum concursus erat cum masculis remo-
 tissimis, & de linea diversa ab initio constituta, quo
 casu, non refragante testatoris voluntate, deduci
 præsertim solita ex contemplatione agnationis jux-
 ta casum de quo apud Outhob. decis. 177. & decis. 183.
 13 par. 10. rec. cum similibus, de quibus supra, ac et-
 iam infra, in proposito reciproca linearis, Regula
 est, quod femina lineæ admittæ præferuntur ma-
 sculis alterius lineæ extraneæ, ad quam bona non
 transeunt nisi prius omnimodò evacuat illa lineæ, in
 quam ingressa sunt, ex deductis per Molin. de primo-
 genitura lib. 3. cap. 5. num. 71. Peregr. de fideicom. art.
 27. num. 14. Fusar. de substit. qu. 379. num. 47. cum
 seqq. Cavaler. decis. 465. num. 2. Fontanell. decis. 34.
 & sequen. & habetur supra in Neapolitana de Lan-
 ari disc. 34. & in aliis, & tanquam absolutum ad-
 mittitur in proximè allegatis decisionibus 177. Ortho-
 boni, & 183. par. 10. rec. quæ sunt in eadem causa &
 passim, quoniam cessante limitatione resultant à
 contraria voluntate testatoris, regula est certa, &
 hodie receptissima, ideoque hic primus punctus vi-
 debatur planus; Licet enim in dicta secunda deci-
 sione 5. Junii 1648. nimirum consideretur dispositiva
 vocatio foeminarum post defectas lineas masculinas,
 atamen hæc dispositio percutit solum transivum to-
 talem ad divertum genus.

Major igitur ac tota difficultas erat super secun-
 do puncto deficientis qualitatis, quam testator in
 foeminis expressè voluit, quod scilicet essent innu-
 ptæ vel viduæ, dum dicta Valeria erat nupta; Hunc
 autem punctum pro clariori resolutione, & ne con-
 funderetur clarum cum turbido, subdistingendum
 esse dicebam in duas inspectiones, Unam scilicet

super portione Francisci Mariæ non contradicen-
 te, quinimò consentiente dicto Julio Casare fratre,
 obventa in dictam Valeriam ejus filiam, de tempo-
 re quo ipsa erat innupta, & habilis, Et alteram cir-
 ca portionem dicti Julii Casaris patris, quæ juxta
 regularem naturæ ordinem obventura credebatur
 in statu quo eadem Valeria virum haberet.

Quoad primam, planum videbatur non obstare
 defectum, ex regula, quod sufficit de tempore de-
 latae successione conditionem seu qualitatem virgi-
 nitatis extitisse ad text. in l. si quis heredem Cod. de in-
 stit. & substit. & in l. finali Cod. de instir. viduit. tollen.
 14 ubi Bald. Castrens. & ceteri, de quibus Gabr. de fidei-
 commissis conclus. 8. num. 1. Tiraquell. in l. si unquam,
 verbo susceperit liberos num. 189. Sanchez. de matrim.
 lib. 1. disput. 33. n. 15. disput. 34. n. 27.

Et in specie, ut dispositio hominis vel legis ex-
 cludens maritatum à successione, ut intelligatur de
 successione defertur post matrimonium non
 15 autem de delatis & acquisitis priusquam nubere
 Bald. in l. si viva matre num. 2. Cod. de suis & legitimis,
 quem ceteri sequuntur relati per Brunum de Statut.
 art. 6. quest. 16 num. 266 cum sequen. Carpan. ad
 Statut. Mediolani cap. 31. num. 51. lib. 1. & ceteri com-
 munitè, nisi constet per testatorem desideratam ef-
 se qualitatis perseverantiam, itaut qualitas non
 consumat statim effectum, sed habeat tractum suc-
 cessivum juxta communem ac receptam distinctio-
 nem deductam ex theor. Barr. in leg. ex facto num. 1. 16
 ff. de vulgari, ubi Ripa num. 29. & 30. & ceteri per
 Tiraquell. ubi supra num. 151. Christophor. de Paz de re-
 nuda cap. 34. n. 34. & seq. Et conferunt quæ habentur
 supra in Bononien. primogenitura de Luparis disc. 7. In
 Astoricen. seu Toletana. Majoratus discurs. 13. & in aliis
 in materia compatibilitatis vel incompatibilitatis
 plurium majoratum seu retentionis cognominis &
 insignium cum similibus, quoniam punctus est, An
 qualitas percutiat solum ingressum vel effectum
 successivum; Primò enim casu sufficit conditionem
 momento extitisse, in secundò autem requiritur
 perseverantia juxta distinctionem de qua habetur
 actum in Romana augmenti dotis de Bolognensis sub titu-
 lo de dote discurs. 27. & tractant etiam feudistæ in pro-
 posito laicalis qualitatis desiderata in successione
 feudorum ex deductis in Venusina, & in Venisren.
 sub tit. de feudis disc. 16 & 17. & in aliis.

Applicando autem ad rem, inspecto tenore te-
 stamenti, intraret potius secunda pars distinctionis,
 super dicta qualitatis perseverantia, dum testator
 voluit singulis annis distributionem fieri fructuum
 ut supra, unde requiritur qualitas de tempore quo
 fiat distributio, cum ita tot sint successiones quot
 sunt anni, adinstar supra exemplificatae distributio-
 nis massæ inter Canonicos vel Beneficiatos Ecclesie,
 quoniam non per hoc quod aliquis semel tanquam
 Canonicus vel beneficiatus admittus fuit ad partici-
 pationem, exinde resultat, quod anno sequenti de-
 bet participare, si non retinet eandem qualitatem,
 cum similibus; Verùm in hoc talis voluntas reman-
 sit alterata per derogationem Apostolicam, ita re-
 ducentem hanc dispositionem ad formam successio-
 nis perpetuæ, pro qua sufficit conditionem semel ex-
 titisse ut supra, nisi subiecta materia exigat ejusdem
 qualitatis perseverantiam; Ut e. g. est assumptio
 cognominis & insignium testatoris, quia non suffi-
 cit assumptio, nisi continuet retentio cum similibus,
 quæ ratio in hujusmodi qualitate non cadebat ob
 dispositionis immutationem à Papa factam, ac et-
 iam quia esset inducere speciem poenæ, quæ sequi
 dicitur ex privatione juris quaesiti, unde intraret

LUCA
 ne
 amentis
 tcat
 CVI
 9

termini text. in cap. gemma de Sponsalibus juxta receptam distinctionem ex celebri consilio 16. Oldradi inter inhabilitationem à jure assequendo, & privationem juris quæ sita ex deductis in sua materia in Avenionen. & in aliis sub tit. de matrim. Ideoque tam mihi quam aliis pro eadem Valeria scribentibus in congressibus habitis pro directione causæ, certum videbatur de ista portione timendum non esse, atque in hoc fuimus concordēs.

Discordantia verò non levis inter nosmetipsos fuit super futura portione dicti Julii Cæsaris, quatenus ejus vocatio contigisset de tempore quo dicta Valeria perseveraret in eo nuptiali statu, in quo reperiēbatur, ut attenda ætate ac ordine natura verisimiliter credebatur; Aliqui enim, fortè pro majori parte, credebant dictam conditionem viduitatis, tanquam à jure reprobam habendam esse pro non scripta, & consequenter illam dictæ successioni non obtare juxta terminos textus in l. quoties & leg. cum tale s. Meria, & s. si arbitratu ff. de condit. & demonstr. cum concord. de quibus bene Acosta in dicto s. si arbitratu in principio, Sanchez de matrimonio lib. 1. disput. 34. num. 4. & cæteri plenè collecti per Altograd. infra allegan. Quodque in omnem eventum, ubi etiam conditio subsisteret, cum dicta Valeria per patrum in minori ætate in matrimonio collocata esset, unde sibi resularet hoc grave præjudicium, juvari deberet beneficio restitutionis in integrum ex iis, quæ cæteris relatis plenè deducunt Menoch. conf. 425 Cyriac. contrav. 451. Rota in Venusina legati decis. 493. par. 4. rec. tom. 2. & cæteri pariter copiosè congesti per Altograd. ut infra; Ego verò ac mihi adhærens insignis J. C. Andofilla tunc Prælati assistens in congressibus quasi tanquam magister pro meliori directione, eram in sensu diverso, unde propterea stante hac discordantia, cum ipsamet Valeria, quæ interveniebat in congressibus, atque cum raro exemplo discurrebat melius quam quilibet ex congregatis, aliquam fiduciam, non immeritò, haberet in doctrina & judicio Lælii Altogradi eximii L. C. Lucensis, determinatum fuit ab eo petere consilium, quod tamen potius more Advocati ad causæ opportunitatem, quam ad veritatem pro meo judicio editum fuisse visum est, illudque habetur registratum in secundo libro consil. dicti Altogradi. consil. 77. lib. 2. ubi doctè & nimium elaboratè habetur de utraque conditione, in sectione scilicet conditionis inducentis viduitatem, ac restitutionis in integrum adversus præjudiciale matrimonium competentis.

Adhuc tamen non obstantibus deductis ab isto Consulente, Ego in mea sententia persistebam, atque certa mihi videbatur futura succumbentia; Siquidem licet præfata jura sint litteralia super in sectione conditionis inducentis viduitatem, ut propterea pro non scripta habenda sit, Attamen ex magis communi, benè fundato, ac recepto DD. sensu id recipiendum est, ac procedit, quando dispositio inducit simpliciter ac indefinise viduitatem, tam respectu temporis, quam personarum, vel locorum, nullumque habet rationabilem finem, unde propterea ad illud referri non possit, nisi ad irrationabile nuptiarum impedimentum, secus autem e converso; Si enim testator prohibuit nuptias carnales, quia virginitatem ac nuptias spirituales seu vitam religiosam desideraverit, tunc conditio non dicitur reproba sed valida, dum alium habet finem honestum & laudabilem melioris vitæ, seu perfectioris status, ex iis, quæ compendiosè, sed satis benè habentur apud Gomez. tom. 1. var. cap. 12. num.

78. Acosta in dicto s. si arbitratu limit. 1. & limit. cum sequen. Sanchez dicta disput. 34. num. 5. & sequen. seqq. Peregr. de fideicom. art. 28. num. 42. de matrim. cap. 11. num. 640. & sequen. Cæp. de consult. 149. num. 32. cum sequen. Cæp. de matrim. quando talis vel similis honestus finis exprimitur. Difficultas autem cadere solet, quando illa non exprimitur, An scilicet in dubio præsumptum sit honestum finem prædictum, vel potius ob irrationabile nuptiarum impedimentum; Et in hoc discipant scribentes, aliquibus volentibus dictum honestum finem potius præsumendum esse. Aliis autem tenentibus de directo contrarium, Et alii discipulantibus, an dispositio expressum habeat finem dotis necne, ut data tali expressione, cum dicitur sine matrimonio, ita subintelligatur matrimonium spirituale, secus e converso, ex his quæ deducuntur dicto consil. 77. Altogradi & per Bell. de cap. 11. num. 640. cum sequen.

Verum in sententiam veritatis dicebatur communiorem videri primam opinionem, ut scilicet in dubio melior seu honestus finis præsumi debeat, non autem alterum irrationabile motivum impediendi matrimonium, quod sine alio fine bene sapere videtur speciem bestialitatis, & contra delictum in dubio non præsumendum, juxta ea quæ habemus infra in Romana fideicommissi de Corpore 64. cum pluribus sequen. in proposito exclusionis profitentium Religionem seu eligentium vitam lasciviam, quod si constaret, id ita dispositum in odium Religionis, absque dubio dispositum maneret infecta, & pro non scripta, secus cum si ex rationabili motivo conservandi agnationem posteritatem, quod motivum etiam non expressum in dubio magis præsumendum est; Quod restabat prætabatur ad casum, quod scilicet ut supra restabat admitti voluerit ad participationem illas pretium quæ non maritata facerent figuram in familia, licet quod ex Italica moribus femina maritæ, licet de jure retineant propriam familiam, & non desinant esse agnatæ, attamen de facto transfunduntur in familiam viri, & tanquam provisa non intelliguntur annua subventionem, quam testator suis descendens singulis annis præstare voluit.

Præterea observabam pro meo sensu potius cum aliquo æquivoco, atque inane remanentem laborem super utroque puncto conditionis dicitatis, vel restitutionis in integrum, cum bene ac propriè procedant in dispositionibus ad favorem certæ & determinatæ personæ, cui vel per via conditionis invitativæ ad lucrum, vel per viam potius ademptivæ emolumentum jam quæ sit prædicta tur calibatus, seu alias matrimonii libertas impediatur juxta deducta in dict. Avenionen. & in aliis sub tit. de matrimonio; Et in his terminis loquuntur omnes supra allegati & cæteri in materia, secus autem ubi dispositio directa est ad personas incertæ & ignotas, in quibus præscribitur certa qualitas. Tunc enim non est indicere viduitatem vel potius habere diversum statum, sed vocare solum illas personas, quæ certam qualitatem haberent, cum potius generaliter non vocare, juxta eas dispositiones quæ indies validè sunt, vocando solum uxores sive laicos & habiles ad matrimonium, quoniam non exinde resultat conditio prohibitiva status religiosi vel ecclesiastici, sed est præscribere certam qualitatem, cum qua & non alias ad successorem præferri potest, unde semper edocemur quantum Consulentibus deferendum sit.